



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**TRACTATVS|| DE CON-||FESSIONIBVS MA=||LEFICORVM ET
SAGA-||RVM SECVNDÒ RECOGNI||tus, & auctior redditus.||
An, & quanta fides ijs adhibenda sit?||**

Binsfeld, Peter

Avgvstae Trevirorvm

VD16 B 5530

Secunda Conculsio. Animæ in purgatorio commorantes, etiam non egrediuntur, vt se immisceant operibus magorum & Maleficorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41113

dum vexatus, in Heracleam ad Necromantiam cum se oraculum contulit: vbi reuocata Cleonices anima, supplex infestæ virginis iram lenire nitebatur. Quæ in conspectum adueniēs, confestim, inquit, his malum liberatum fore, cum in Spartana vrbe constiterit. Ea sermone ambiguitate visa est hominis mortem prædixisse. Multi profectò hanc rerum scriptores historiam tradidèrunt. Sic Plutarchus, pro resolutione huius dubij sit his præmissis.

Prima Conclusio. *Sine dubio anime beatorum non se immiscerent operibus magorum aut Maleficorum.*

QVIA cum sint in manu DEI, iuxta illud Sapien. cap. 3. Iustorum animæ in manu DEI sunt, nec tanget illos tormentum malitiæ, ad inuocationem & incantationem magorum, aut maleficorum non egrediuntur, nec in minimo subsunt imperio Dæmonum, quorum opera Magi vtuntur in suis operibus. Egrediuntur tamen anime beatæ aliquando liberè et propria voluntate, & particulari permissione diuina, ob causas salutem humanam promouentes. Exempla refert S. Grego. li. 4. Dialog. Prædictam Conclusionem docet S. Chrysol. loco citato.

Secunda Conclusio. *Anime in purgatorio commorantes, etiam non egrediuntur*

tur, vt se immisceant operibus magorum & Maleficorum.

QVIA non est in eorum potestate egredi, cum diuina voluntate & potestate ibidem in pœnam suorum peccatorum detineantur: Et cum sint in charitate, suam voluntatem diuino beneplacito conformant, nec tam peruersis operibus, quæ etiam in vita detestatae sunt, desiderant interesse. Sitamen quandoq; animæ purgatorij permittuntur exire, ex speciali Dei dispensatione, id fit aut ad petendum viuorum suffragia, aut ad procurandum aliquod humanum bonum.

Tertia Conclusio. Anima damnata, & in inferno existentes, neq; se immiscere operibus magorum & maleficorum possunt, neq; hominibus prodesse aut obesse.

TALES enim animæ perpetuo carceri sunt mancipatae, neq; vlla arte magica euocari possunt, vt patet ex illo Euangelij de diuite Epulone, qui non est permissus redire ad mortales, vt fratres proprios salutis admoneret, ne in locum illum tormentorum venirent: quanto magis potestas denegatur redeundi ad scelera & deceptionem hominum? Hæc Conclusio est S. Chrysoft. & S. Thomæ loco citato. Francisci Victoriæ in relect. de arte magica, num. 17. Iosephi Angles in Florib. in 2.
 G 2 in q.